



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Pauperum inani querelæ quomodo satisfiat?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

tum, ne me audias, neque inter tuos accipias, oro: cum infernis dijs in aeternum agere decrevisi. Qui aderant, verbis quidem, quod poterant, ipsius iram lenire conabantur: sed clausa erant aures, obstrepente ira: qua adeo oppressit hominem, ut obiurgatis prius amicis omnibus, si se sequerentur, extra portam egrederetur, nec ante imposuerit frenos amenti gradui, quam in vastum se se proripuerit nemus, ingentiq; cum molestia ibi diem totum egerit. Noctū urbem petens, eum portas offendisset clausas, in fimo aceruo prostratus, lucem expectavit. Mane verò urbem ingressus, in fabri cuiusdam lignarij domo abstruxit se se, ibiq; iugiter per sex menses solus, ac sine libris, vitam protraxit, plenam tristitia, Diris, execrationibus, desperatione, & similem vitæ damnatorum. Huc redigit inopia. Nonne ergo grande malum est paupertas? Et tamen, ut initio diximus, à Deo est. Quo modo à bono potest esse malum? Hæc spina est, quæ pungit ineruditos, aut, ut verius dicam, impatientes, diuinorumque iudiciorum ignaros.

CAPVT. II.

Quid sit, & quotuplex paupertas; tresq; pauperum classes.

I.



Agnus est numerus hoc morbo laborantium; multi hæc plaga icti superos querelis suis percusserunt, quorum vulnus numquam veniet ad cicatricem, nisi didicerint consilia Dei rectius æstimare. Ad quæ non curiosè, sed piè scrutanda Propheta quoque hanc quæstionem induxit: *Iustus quidem tu es, Domine, si disputem tecum: veruntamen iusta loquar ad te: Quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus, qui prauaricantur, & iniquè agunt? Plantasti eos, & radicem miserrunt: proficiunt, & faciunt fructum.* Ad quam quæstionem abundè respondet Dominus, cum ait: *Beati, qui nunc esuritis: quia saturabimini. Beati, qui nunc stetitis: quia ridebitis, &c. Veruntamen ve vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram. Va vobis qui saturati estis: quia esurietis. Va vobis qui ridetis nunc: quia lugebitis, & flebitis.* Numquid enim hæc sufficiens est causa, cur mali copiâ gaudeant, boni inopiâ premantur? quis iam non mauult esse Lazarus, quam epulo purpuratus? Scitum est illud Bedæ dictum: *Mali nihil habent in celo, boni*

Jerem. 12. 1.

Luc. 6. 21.

Cap. II. Quid, & quotuplex sit paupertas?

lo, boni nihil habent in mundo. Quod solum verbum pellere potest omne fastidium ex egestate. Sed aliùs rimandum est, quid sit paupertas, & quàm varia, itemq; an, aut quæ mala? immò potiùs, qui sint pauperes, & quàm diuersi; & si qui sunt mali, an non ipsi potiùs mali, quàm paupertas? cùm plurimi sint, quos optimos fecit paupertas; plurimi, quos diuitiæ pessum dederunt; quamuis nec ipsæ malæ, sed (quemadmodum inopia, atque egestas) vel virtutum, vel vitiorum instrumenta, prout in bonas malasue mentes inciderunt. Quoniam igitur *paupertas & honestas a Deo sunt*, & vtroque versus trahi possunt, homini, non Deo attribuendum est, si quid mali coniungitur cum paupertate. Vnde rectè in Proverbio dicitur. *Qui despicit pauperem, Deo exprobrat*, cuius tamen sapientissimam in rebus dispositionem, vel ipsi pauperes laudant, si sunt sapientes.

Eccli. II. 14.

Proverb. 17. 5.

Matth. 23. 11.

II.

Quid igitur est paupertas? Vulgus malè eam putat esse aliquid quod possideret; vocat enim exiguas opes paupertatem. *Meam*, inquit, *paupertatem magno labore corrasam*, seruo in arca: *meam paupertatem pro agrò, pro vilula expendi, meam mihi paupertatem furatus est seruus furcifer*. Ita enim vulgus loquitur, ut id, quod modicum est, non autem quod deest, appellet paupertatem; & si fur abstulit, quod parum aderat, *abstulit*, inquit, *mibi meam paupertatem*. Si rectè loqueretur, non diceret, *abstulit*, sed *auxit mihi meam paupertatem*, quando id abstulit, quod recondidi. Eo diues erat, quod possederat: itaque priuatione pauper factus est, non possessione. De hoc nominis errore etiam in scholis fuisse disputatū docet Seneca his verbis. *Vnus tibi nodus sed Herculeus, restat. Ex malis bonum non fit: ex multis paupertatibus diuitia fiunt: ergo diuitia bonum non sunt. Hanc in interrogationem nostri non agnoscunt, Peripatetici & fingunt illa & solvunt. Ait autem & Posidonius, hoc sophisma per omnes dialecticorum scholas iactatum, sic ab Antipatro refelli. Paupertas enim non per positionem, sed per detractionem dicitur, vel (ut antiqui dixerunt) per orbationem: Græci dicunt κατὰ ἔλασιν: non quod habeat, dicitur, sed quod non habeat. Itaque ex multis inanibus nihil impleri potest: diuitias multa res faciunt, non multa inopia. Aliter, quàm debes, paupertatem intelligis. Paupertas est, non, quæ pauca possidet (alioqui qui nihil penitus possideret, pauper non esset, cùm sit omnium.*

Senec. epist. 87.

III.

200

B

pauper-